



**Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis
Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et
Justitiae, Sive Decisivi Discursus**

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in
quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus
respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum
luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque
omnibus in utroque Foro ...

Pars I. De Testamentis, Codicillis, & ultimis voluntatibus. Pars II. De
Hærede, & Hæreditate. Pars III. De Legitima Trebellianica, & aliis
Detractionibus

**Luca, Giovanni Battista de
Coloniae Agrippinae, 1690**

Disc. X. Viterbien. bonorum. An & quando cohæredes, qui integros fructus
bonorum hæreditariorum perceperunt, teneantur ad eorum restitutionem
ad favorem cohæredis absentis, vel aliàs non curantis su ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74043](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-74043)

VITERBIEN.
BONORVM
PRO
HIERONYMO BUSSIO
CUM
EJUS FRATRIBUS.

Casus disputatus coram Cardinali deputato, seu arbitrio, incertus est exitus, credo per concordiam.

An & quando cohæredes, qui integrō fructu bonorum hæreditariorum perceperunt, teneantur ad eorum restitucionem ad favorem cohæredis absentis, vel alias non curantis sive portionis fructus percipere, vel potius isti censeantur condonati.

SUMMARIUM.

1. **F**acti series.
2. In iudicio petitionis hæreditatis, vel familie ericſe, veniunt fructus.
3. Hæres sciens adesse cohæredem, non potest facere suos fructus portionis istius.
4. Unus frater dicitur administrator portionis alterius.
5. Quid ubi unus est hæres purè, alio sub conditione.
6. Quando inter cohæredes censatur induilla remissio, seu tacita donatio, quam non percipiens fructus faciat percipienti.
7. De quodam casu tacita remissio.
8. Datur distinctio, cura qua dicta questio occidenda est.

DISC. X.

Aditis per fratres de Bussis, parentum, aliorumque majorum hæreditatibus, eis æqualiter delatis, Hieronymus Societatem Jesu ingressus est, quare alii fratres alia bona hæreditaria possidentes fructus perceperunt; Cumque ad plures annos, dictus Hieronymus in statu religioso perseverans, propriam portionem recognoscere voluisset, atque fratres ad divisionem provocasset, hinc petuit etiam fructus decursos, quibus denegatis ex fundamento præsumpta remissio, seu consumptio bona fide, Atque controversia benevolè remissa esset cuidam insigni Cardinali, coram isto ad scribendum requisitus ex parte P. Hieronymi actoris.

Dicebam, quod in stricta juris censura (scriben-
do more Advocati) pro isto respondendum esset, quoniam in iudicio petitionis hæreditatis, vel familiie ericſunda, veniunt etiam fructus ad tex. in l. item veniunt, §. fructus, ff. de petit. hered. glof. Bald. Salycetus, & ceteri in l. non est ambiguum, Cod. famil. ericſe. **Afflct.** decis. 240. num. 2. & 3. Buratt. dec. 474. num. 6. & 843. num. 3. ubi Adden.

Neque à consumptis excusari posse dicebam dicētos cohæredes, cum scirent alium habere cohæredem, qui cum eis hæreditates adierat, unde propterea erant in mala fide, qua concurrente, non potuerunt facere suos fructus quamvis consumptos, ut

per Afflct. dicta decis. 240. cum qua passim pertranscunt moderniores agentes de hujusmodi fructuum restituzione, ut liquet ex Burat. lotis canticis, decis. 528. num. final. par. 2. rec. Cavaler. decis. 409. ubi solum quæstio est super competencia judicii, quod scilicet non cadant sub interdicto quorum bonorum, sed veniant in iudicio petitionis hæreditatis, Sed quod substantiam nemo dubitate videatur.

Si enim pro legitima debentur filio fructus ipso jure à die mortis parentis, etiam ante petitionem, juxta magis communem & receptam opinionem, de qua Merlin. de legitima lib. 2. tit. 1. quest. 1. & cum qua passim procedit Rota & Curia, cum tamē hæres dici possit in bona fide, putando scilicet eum non esse petitorum, & ex qua ratione præscriptioni mala fides non obstat, multò magis, ubi hæreditas jam est agnita, unde cohæredes sciant potius administratio nomine fructus ex illa portione percipere, cum unus frater dicatur administrator portionis alterius fratris ex deducis per Michalor. de fratre. par. 3. cap. 44.

Et in fortioribus terminis duorum hæredum, quorum unus sit purè institutus, alter vero sub conditione, ut ista purificata, possit cohæres conditioinaliter institutus petere fructus à principio, neque cohæres excusari possit, dum sciebat posse habere cohæredem, cuius portionis interim administrator erat, ex teris allegatis probat Andreol. controv. 159. Quicquid enim sit de veritate hujus assumpti non maturè examinata, dum incidenter deducebatur, Attamen per argumentum à fortiori nimium videbatur facere ad rem.

Scribentes pro cohæredibus, vim constituebant in exacta donatione, seu remissione, de qua ceteris allegatis. **Surd. cons.** 434. nn. 37. Respondebat tamen id procedere, ubi cessante communione universalis, concurret societas, seu communio vix, quia scilicet fratres, vel alii cohabitantes starent ad unam vitam, seu, ut nostri dicunt, ad unum panem; Tunc enim si unus ponit maiores fructus, quam alter, videtur de exuberanti facta tacita donatio, quin specie de fratribus cum dicta distinctione Angel. in l. quid sit fugitivus §. apud Celum ff. de Edit. Edil. Adden. ad Bald. in l. ut nemini Cod. de collatione litera A. Suffragante etiam huic parti regula generali super donatione in dubio excludenda, nec de facili etiam inter conjunctos inducenda, nisi alia urgeant adminicula ex deducis per Cavaler. decis. 603. nnm. 5. & 6. decis. 54. par. 5. rec. decis. 41. par. 9. in principio, & sequi.

Allegabant etiam deducis per Andreol. controv. 318. Verum ea non faciebant ad casum, unde plana erat responsio ex defectu applicationis ad factū, ibi enim patruus, qui cum nepotibus bona in communi possidebat, extra patriam in cuiusdam Principis aula diu splendide vixerat, ab illo eo quod constaret, quod habuisset alios redditus ad illam vitam substantiam sufficientes, dum salarium erat tenuerat, id eoque probabilitate inferat ad præsumptam solutionem, quod scilicet singulis annis, vel congruis temporibus, fructuum propriæ portionis aequivalentium nepotes subministraverint, ut communis suscitat; Id autem nullatenus intrare poterat in hac facti specie, in qua agebatur de fratre vivente in Religione absque fratrum subficio.

Ista dicebam tanquam Advocatus de stricto jure; Interrogatus autem ab eodem Cardinali, quid ex proprio iudicio pro veritate sentirem, dixi mihi videri (procedendo cum illa aequitate, & bona fide, & quæ inter fratres attendenda est) inspicendum esse, an dicti fratres, qui integrō fructus percepe-

rant, ex eis effecti essent locupletiores, quia nempē cum exuberantibus aliquas fecissent acquisitiones, ita pro hac rata dici possint fructus verē, vel exquisi-
tior extantes; Itō enim casu, cum cestarent omnia, quae in iure habentur super excusationē à percepīs, & consumptis ratione bona, vel saltem non male fidei, acque dīcī fratres agerent potius de lucro captando, probabilius dicendum videba-
tur in eos, qui consumpti sunt, referri prius debere proprios, quam alienos, ita ut exuberantes ut-
pote referendi ad alienos, deberent eorum domino restituī; Secus autem in casu converso, ubi scilicet omnes bona fide consumpti essent, quia nempē fratres crediderint, quod per fratrem effectum reli-
giolum sicut neglegi, & remissi, dum hæc proba-
bilis credulitas exculcare videtur à consumptis, quo-
rum restituti importaret damnum de proprio in
forte contra omnem aequitatem, & communem u-
sum; Incertum autem est quid sequutum sit, credo autem quod honesta concordia controversiā finem
decedit.

ROMANA
CENSUS,
PRO
LAURENTIO CIANTES.
CUM
FRANCISCO STELLA.

Casus decisus per Rotam pro Francisco.

De aditione hereditatis resultante ex acti-
bus facti, an, & quando adesse dicatur,
neque, ubi impugnat per eum, in cuius
prajudicium aditio allegetur.

SUMMARIUM.

- 1 F Alii series.
- 2 De Rota decisionibus presupponendis.
- 3 Resolutio causa.
- 4 De aditione hereditatis ex actibus facti.
- 5 Declaratur quando id procedat.
- 6 Quomodo ista quæstiones decidenda sint.
- 7 Quid aliquando resolutiones prodeant ex moti-
vo aequitatis, sed ad cohonestandas decisiones,
adducantur conclusiones generales.
- 8 De titulis, ad quos actus referri poterant.
- 9 Etiam si titulus non subsistat, suffici ejus credibili-
tas, & de ratione.
- 10 Declaratio animi contraria multum attendenda
est.
- 11 Aditio hereditatis in minore vel muliere exigit
solemnitates statutis.
- 12 Tutor male agit aedendo hereditatem sine in-
ventario.
- 13 De aditionis ratificatione.
- 14 De restitutione in integrum, ob justam opina-
tionem remissive.
- 15 Memorandum quomodo deferendum sit decisionibus.

D I S C. XI.

Defuncto Martio Jordano, superstitibus Marcello, & Paulo filiis; Cum defuncto etiam Marcellō, Societas Sacraienti Sancti Laurentii in Damaso Martii cre-

ditrix, pulsasset Paulum tanquam heredem, qui di-
ctam qualitatē negabat, hinc assumpta defuper
disputatione in Rota coram Bichio sub die prima Iu-
ni 1641. incidenter occasione remissiora firmatum
fuit constare de aditione per actus facti, ut liquet
ex decisione, que habetur impressa decisi. 48. par. 9.
rec. & inter illas Bichii decisi. 66. Dicta vero lita per
concordiam sopita, post longum intervallum, co-
ram Judice particulari, Franciscus Stella cōtra eum-
dem Paulum, seu Laurentium ejus interim defun-
ti heredem, cum præsupposito dictæ hereditaria
qualitatē plures excitavit prætentiones; Cumque
pro stylo decisiones præfertim super statu veniant
præsupponendæ etiam in Rota, multò magis coram
Judicibus inferioribus, donec revocentur, & quatenus
etiam stylus rigorosè non intraret, (cum verē &
propriè ille procedat in eadem causa, & inter eas-
dem partes) adhuc tamen sint magna auctoritatis,
neque soleant judices in contrarium judicare; Hinc
proindè, ut frequenter contingit, reassumpta fuit
ejus revisio coram Bevilagna subrogato, coram quo
sub die 20. Iunii 1659. pro confirmatione respon-
sum fuit, unde proprieatē per concordiam, istam
quoque controversiam terminare oportuit.

In hac igitur ultima disputatione coram Bevilag-
na, in qua solum scripti pro Laurentio impugnan-
do decisionem, (cum de tempore primæ ad Cu-
riam adhuc non accessisset) Non negabam genera-
lalem theoricam Bartoli in l. gerit. nn. 21. ff. de ac-
quir. hered. cum concord. in eadem decisione deducit, ut hereditatis aditio, nedum verbis, ac ex-
pressè fieri possit, sed etiam tacitè, seu implicitè, ac 4
per actus facti, possidendo scilicet bona heredita-
ria, sive illa vendendo, aliaque faciendo, quæ citrā
jus, & nomen heredis fieri non possunt, quos actus
plene reassumit, Menoch. lib. 4. præf. 101.

E converso autem scribentes in contrarium non
negabane ejusdem theorica declarationem, seu mo-
derationem, in decisione quoque admissam, de qua
apud Menoch. ubi suprà Cyriac. contr. 244. nn. 27.
& seqq. Capyc. Latr. decisi. 13. nn. 10. Gregor. decisi.
460. Buratt. & add. decisi. 207. & passim, ut id pro-
cedat, quando agatur de actibus omnino univocis,
ac perneccesse concludentibus, qui citrā jus, ac no-
men heridis fieri non potuerint; Secus autem da-
to alio possibili titulo, vel jure, ex quo illi fieri po-
tuerint, cum tunc aditio non refutet, quoties ita
non allegetur per ipsum filium ad ejus favorem, sed
per creditores, & alios in ejus præjudicium; Tum
quia actus in dubio referendus est ad illum titulum,
qui sit faciens utilis, magisque proficus; Tum eti-
am quia aditionis præsumptio fundata est in exclu-
sione delicti, quod alias resultaret, possidendo bona
aliena eaq; alienando, sive alias de eis disponendo
ex eadem ratione, ob quam habetur plures subtit.
de legit. & detract. conclusio super electione bono-
rum alienatorum ad terminos texis, in l. Marcellus
ff. ad Trebell. & consequenter ubi alter dari potest
titulus, tam delicti, quam præjudicij exclusivus, huic
potius tales actus referendi veniunt.

Hinc proindè, tam istius, quam multarum alia-
rum similiūm controversiarum occasione frequen-
tissimè habità, cum videatur articulus in foro penè
quotidianus; Dicere consuevit, quod ista non est
questio juris, sed nudi facti, & applicationis, ex cu-
jus defectu intellectus non acquievit huic resolutio-
ni, dum ex decisionis tenore constat processum esse
cum theoricis generalibus, in se veris, quando (ut
dictum est) actus remaneant univoci, ad alium ti-
tulum non referibiles; Secus autem isto acceden-
te, cum tunc pariter vera & indubitate sit limitatio;
Ideoque

De LUCA
De
stamentis
et ceteris
GVI